

## 1256-1256- Ordo Fratrum Praedicatorum - Constitutiones

### CONSTITUTIONES ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

Constitutiones Monialium Sacri Ordinis Praedicatorum

Incipiunt constitutiones ordinis fratrum predicatorum.

Quoniam ex precepto regule iubemur habere cor unum. et animam unam in domino. \* iustum est ut qui sub una regula et unius professionis uoto uiuimus. uniformes in obseruantis canonice religionis inueniamur: quatinus unitatem que interius seruanda est in cordibus. foueat et representet uniformitas exterius seruata in moribus. Quod profecto eo competentius et plenius poterit obseruari. \* si ea que agenda sunt. scripto fuerint commendata: si omnibus qualiter sit uiuendum. scriptura teste innotescat. \* si mutare uel addere uel minuere nulli quicquam propria uoluntate liceat: ne si minima neglexerimus. paulatim defluamus. Ad hec tamen prelatus in conuentu suo dispensandi cum fratribus habeat potestatem. cum sibi aliquando uidebitur expedire: in iis precipue que studium uel predicationem uel animarum fructum uidebuntur impedire. \* cum ordo noster spetialiter ob predicationem et animarum salutem. ab initio noscatur institutus fuisse: et studium nostrum ad hoc debeat principaliter intendere. ut proximorum animabus possimus utiles esse. Priores etiam utantur dispensationibus: sicut alii fratres.

Ut ergo unitati et paci totius ordinis prouideamus.

\* uolumus et declaramus. ut constitutiones nostre non obligent nos ad culpam. sed ad penam: nisi propter preceptum uel contemptum. Et ut multitudo constitutionum uitetur: prohibemus ne de cetero aliiquid statuatur. nisi per duo capitula continua fuerit approbatum. \* et tunc in tercio capitulo immediate sequente. poterit confirmari uel deleri: siue per priores prouinciales siue per alias diffinitores. ubicumque illud tercium capitulum celebretur. Interpretationes regule uel constitutionum facte a generali capitulo. non habeant uim constitutionis: nisi per tria capitula approbentur.

Librum autem istum diligenter conscripsimus: in quo distinctiones annotauimus. Prima distinctio continet uiginti capitula: I de officio ecclesie. \* II de inclinationibus: III de suffragiis mortuorum: IV de ieuniis. \* V de cibo: VI de collatione: VII de infirmis. \* VIII de minutiōne: IX de lectis: X de uestitu. \* XI de rasura: XII de silentio: XIII de recipiendis. \* XIV de nouitiis et eorum instructione: XV de professione: XVI de leui culpa. \* XVII de graui culpa: XVIII de grauiorū culpa: XIX de grauissima culpa: XX de apostatis.

Secunda distinctio continet quindecim capitula: I de domibus concedendis uel construendis. \* II de electione prioris conuentualis. et institutione supprioris: III de electione prioris prouincialis: IV de electione magistri. \* V de electione diffinitorum capitulo prouincialis et generalis: VI de capitulo cotidiano: VII de capitulo prouinciali. \* VIII de capitulo generali: IX de sollemni celebratione capitulo: X de capitulo generalissimo. \* XI de uisitatoribus: XII de predicatoribus: XIII De itinerantibus. \* XIV de studentibus: XV de conuersis.

Liber constitutionum ordinis fratrum  
Praedicatorum juxta codicem prototypum  
beati Humberti in archivo generali ordinis  
Romae asservatum

### Distinctio prima

#### **De officio ecclesie:** primum capitulum

Audito primo signo surgant fratres: dicendo matutinas de beata uirgine pro tempore. Matutinas autem et missam. et omnes horas canonicas simul audiant fratres nostri: nisi cum aliquibus prelatus aliter dispensare uoluerit. Hore omnes in ecclesia breuiter et succincte taliter dicantur. \* ne fratres deuotionem amittant: et eorum studium minime impediatur. Quod ita dicimus esse faciendum: ut in medio uersus metrum cum pausa seruetur. \* non protrahendo uocem in pausa uel in fine uersus: sed sicut dictum est breuiter et succincte terminetur. Hoc tamen magis et minus: pro tempore obseruetur.

Tempore quo bis reficiuntur fratres. legatur in ecclesia ante completorium lectio: fratres sobrii estote. Et facta confessione. et dicto completorio: det qui preest benedictionem. et ebdomadarius aquam asperget benedictam. Postea dicatur pater noster et credo in deum: quod etiam debet fieri ante primam et ante

matutinas. Totum officium tam diurnum quam nocturnum secundum correctionem et ordinationem uenerabilis patris fratris humberti magistri ordinis nostri. confirmamus. \* et uolumus ab omnibus uniformiter obseruari: ita quod nulli liceat de cetero aliquid innouare Fratres nostri non habeant in domibus suis: nisi unam campanam ad omnes horas. Solus ebdomadarius tam in choro quam in processione: capa serica utatur.

#### **De inclinationibus:** secundum capitulum

Finitis matutinis de beata uirgine: cum fratres in chorum uenerint. inclinent ante altare profunde. Et cum ad sedes suas uenerint: facto signo a prelato. flexis genibus. uel inclinati profunde pro tempore. dicant pater noster. et credo in deum. Iterum facto signo a prelato: surgant. Hora itaque deuote incepta. uersi ad altare munitant se signo crucis. \* et ad gloria patri inclinet chorus contra chorum profunde: uel prosternant se pro tempore: usque ad sicut erat. Hoc etiam faciendum est. quotiens pater noster et credo in deum dicuntur: nisi in missa et ante lectiones. et gratiarum actiones. \* in quibus inclinamus solum ad pater noster: et ad orationem Retribuere. Idem etiam faciendum est ad primam collectam in missa. et ad postcommunionem: et similiter ad orationem pro ecclesia. \* et in singulis choris ad collectam: et ad gloria patri. quotiens in inchoatione hore dicitur. Ad omnia autem alia gloria patri. et ad extremos uersus ymnorum. et ad penultimum uersum cantici Benedicite. inclinamus usque ad genua. \* et quando cantatur gloria in excelsis ad suscipe deprecationem nostram: et ad credo in missa ad ex maria uirgine et homo factus est. et iterum in benedictione lectionis. Iterum in capitulo ad orationem sancta maria. \* et in omni oratione quando nomen beate uirginis. et beati dominici nominatur: et etiam quando nomen beate uirginis nominatur ad antiphonam Salve.

Hora itaque predicto more incepta. \* postquam ad gloria post uenite inclinauerint: stet chorus contra chorum. Deinde ad primum psalmum sedeat unus chorus. \* et ad secundum similiter stet. et sedeat alter chorus: et sic alternt usque ad Laudate dominum de celis. Et sic faciant ad omnes horas. Finita autem lectione in matutinis: nisi fiat officium de mortuis. \* ille qui legit. inter pulpitum quod est in medio chori et gradus. inclinationem faciat: uel prosternat se pro tempore.

In inclinationibus: conformemur moribus eorum ad quos declinamus. Porro ad Salve sancta parens. et Ueni sancte spiritus: flectimus genua. In ferialibus quoque diebus: iacemus prostrati a sanctus usque ad agnus. In festis uero trium uel nouem lectionum: iacemus prostrati ab eleuatione corporis usque ad pater noster. In prostrationibus idem seruemus: in festo trium uel nouem lectionum.

Quando prelatus iniunxerit aliquam communem orationem: inclinent omnes. Similiter omnes faciant: quibus aliquid facere uel dicere iniunxerit. Si autem aliquam obedientiam uel officium uel ministerium aliquod cuius iniunxerit: humiliiter prosternens se. suscipiat quod iniunctum fuerit ei. Quando etiam fratribus quidpiam uestimenti tribuitur: profunde inclinantes. benedictus deus in donis suis. dicant.

#### **De suffragiis mortuorum:** tertium capitulum

A festo sancti dyonisii usque ad aduentum. pro anniuersario fratrum. clericus psalterium. et sacerdos tres missas: layci quingenta pater noster dicant. Idem faciat quilibet fratrum pro defuncto fratre sui conuentus. \* et idem fiat per totum ordinem pro magistro ordinis. et a comprouincialibus pro priore prouinciali: defunctis. Idem etiam fiat per totum ordinem. pro diffinitore generalis capituli uel socio eius. \* et pro electoribus magistri. uel socio prioris prouincialis euntis ad capitulum generale: si aliquem illorum in uia mori contigerit. Idem etiam fiat pro uisitatore a domibus quas uisitare debet: si in uisitatione moriatur.

Item quilibet sacerdos fratrum celebret triginta missas in anno. pro fratribus ordinis defunctis. et quilibet conuentus uiginti missas in communi. \* et quilibet clericus triginta uicibus septem psalmos: et quilibet conuersus triginta uicibus centum pater noster dicat. Anniuersarium patrum et matrum tertia die post purificationem beate marie. \* anniuersarium benefactorum et familiarium sequenti die post octauas beati augustini: anniuersarium uero fratrum sequenti die post festum beati dyonisii. est faciendum. Fratres uero nostri numerum missarum non admittant.

#### **De ieuniis:** quartum capitulum

A pascha usque ad festum sancte crucis. reficiantur bis fratres: exceptis diebus rogationum. et sextis feriis. et uigilia pentecostes. et ieuniis quatuor temporum. \* uigilia iohannis baptiste. petri et pauli. iacobi et laurentii: assumptionis sancte marie. et bartholomei. A festo autem sancte crucis usque ad pascha continuum tenebimus ieinium. \* et nona dicta comedemus: exceptis dominicis diebus. In toto autem aduentu et quadragesima et ieuniis quatuor temporum. \* in uigilia ascensionis et pentecostes. sancti iohannis baptiste. petri et pauli. in uigilia sancti laurentii et assumptionis sancte marie. mathei. simonis et iude. et omnium sanctorum. andree apostoli. et omnibus sextis feriis. nisi dies natalis domini ea die euenerit. quadragesimali utimur cibo: nisi cum aliquo propter laborem dispensemur. \* uel in locis. in quibus aliter comederetur: uel nisi precipuum festum fuerit. Itinerantes tamen bis refici possunt: nisi in aduentu et ieuniis principalibus ab ecclesia institutis. Feria secunda et tertia post quinquagesimam. tam intus quam

extra. quadragesimali utimur cibo: et ieunamus. In parasceue per totum diem in pane et aqua abstinebimus ubique.

#### **De cibo:** quintum capitulum

Hora competenti ante prandium uel cenam. a sacrista paucis ictibus campana pulsetur: ut fratres ad refectionem uenire non tardent. Postmodum pulsetur cymbalum si est cibus paratus: alioquin non pulsetur donec paratus sit. Ablutis uero manibus prior nolam refectorii pulset: et tunc fratres ingrediantur. Quibus ingressis. dicat Benedicite qui dicit uersiculos: et conuentus prosequatur benedictionem. Seruitores autem incipient ab inferioribus: usque ad mensam prioris ascendententes.

Nullus fratum presentium a prima mensa remaneat preter seruitores et custodes: nisi de licentia. Quotquot autem remanserint. comedant in secunda mensa: ita quod terciam facere non oporteat. Nulla fiat pitantia seruitoribus uel ministris. que non fit conuentui: nisi sint infirmi uel minuti. Frater non mittat fratri pitantiam excepto priore: sed sibi datam dare potest a dextris et a sinistris.

Priores comedant in refectorio. et cibariis conuentus sint contenti. \* Similiter infirmarii et receptores hospitum et alii fratres: nisi cum aliquibus prior dispensauerit ob aliquam causam. ut extra conuentum aliquando comedant. Pulmenta nostra sint ubique sine carnibus in nostris conuentibus: preter quam in infirmariis. Fratribus autem nostris ne sint hospitibus onerosi: pulmenta cocta cum carnibus comedere liceat extra claustrum.

Fratres nostri tam priores quam alii in locis ubi conuentum habuerimus. nisi cum episcopo. uel in domibus religiosorum. et hoc raro: extra claustrum comedere non presumant. Singulis diebus si fieri potest: duo cocta pulmenta habeant. Poterit autem prior superaddere: prout opus esse iudicauerit. et facultas permiserit. Si quis iuxta se sedenti uiderit aliquid deesse de communi: requirat a cellario uel ministro. Si quis de seruitoribus uel comedentibus seruiendo uel comedendo in aliquo offenderit. \* surgentibus fratribus ueniam petat: et facto signo a prelato. redeat ad locum suum.

#### **De collatione:** sextum capitulum

Tempore ieunii hora competenti. sacrista ad collationem signum faciat: postea cymbalum refectorarius pulset. Deinde fratribus uenientibus in refectorium. legat lector premisso Iube domne: et sequatur benedictio Noctem quietam et finem perfectum. tribuat nobis omnipotens et misericors dominus. Infra lectionem vero poterunt bibere facto signo a priore. et dicto Benedicite a lectore: dataque benedictione ab ebdomadario Largitor omnium bonorum benedicat potum seruorum suorum. Finita lectione. dicat qui preest Adiutorium nostrum in nomine domini: et tunc cum silentio intrent fratres ecclesiam. Quicumque bibere voluerit extra horam. licentiam petat a prelato: et unum socium accipiat.

#### **De infirmis:** septimum capitulum

Circa infirmos: caueat ne sit negligens prelatus. Sic enim procurandi sunt infirmi ut citius releuentur: sicut dicit pater noster augustinus. Poterunt autem quidam uersi carnibus. prout eorum grauior exigit infirmitas: secundum quod prelato uisum fuerit. In locis uero ubi conuentum habemus: extra domum nostram carnes non comedant. Si quis autem talem infirmitatem habuerit. que nec eum multum debilitet. nec comedendi turbet appetitum. \* talis nec super culcitram iaceat. nec ieunia consuetudinaria frangat: nec cibos refectorii mutet.

In domibus nostris non sint nisi duo loca in quibus comedant debiles uel infirmi. \* unus carnium et alius ciborum aliorum: nisi sit euidens necessitas. uel urgens infirmitas. Similiter nec alii fratres comedant nisi in communi refectorio: uel hospitum domo. Si autem priores infirmari contigerit: in infirmeria cum aliis procurentur. Fratres uero leprosi infra septa sui conuentus. seorsum ab aliis procurentur. Quod si artitudo loci illius. uel alia causa legitima non permiserit: per priorem prouinciam ad conuentum alium nostri ordinis transferantur.

#### **De minutione:** octauum capitulum

Minutio quater in anno fiat. prima in mense septembri. secunda post natale. \* tertia post pascha: quarta circa festum iohannis baptiste. Preter has minutiones nullus audeat sibi minuere: nisi discretio prioris propter aliquam causam iudicauerit aliter alicui esse faciendum. Minuti extra refectorium cum silentio comedant. ubi commode poterit obseruari: et secundum quod facultas domus permiserit. commodius procurentur. Causa uero minutionis: carnes non comedant.

#### **De lectis:** nonum capitulum

Super culcitra non dormiant fratres nostri: nisi forte stramen uel aliquid tale super quod dormiant. habere non possint. Super stramina. laneos. et saccones: dormire licebit. Extra domum autem iacere poterunt sicut fuerit eis stratum: ne hospites molestentur. Qui autem culciras petierint: ieunent una die in pane et aqua. Cum tunica et caligis: cincti dormiant. Excepto magistro ordinis. nullus qui. in communi tollerari possit

habeat locum speciale ad iacendum: nisi propter rerum custodiam. Lectoribus tamen secundum discretionem prioris prouideatur.

#### **De vestitu:** decimum capitulum

Uestes laneas non attonsas ubi hoc seruari poterit: deferant fratres nostri. Ubi uero seruari non poterit utantur uilibus: et potius uilitas in capis obseruetur. Lineis non utantur ad carnem: nec etiam infirmi. Similiter et linteamina: in infirmariis nostris penitus non habeantur. Nullus habeat plures tunicas quam tres cum pelliceo in hyeme. \* uel quatuo sine pelliceo: quod semper tunica cooperatum deferatur.

Pelliceis siluestribus fratres non utantur. \* nec et coopertoriis quarumcumque pellium. nisi in infirmitaria: nec tamen utantur ibidem coopertoriis pellium silvestrium. Tunice circa cauillam pedum. scapularia circa cooperturam genuum: sufficit ut descendant. Capa uero breuior sit tunicis: et etiam pellicum. Caligas et soccos habebimus: ut necesse fuerit: et facultas permiserit. Ocreas non habebimus: nec cyrotacas. Bote extra septa monasterii non portentur.

#### **De rasura:** undecimum capitulum

Rasura sit superius non modica ut religiosos decet: sic ut inter ipsam et aures non sint plus quam tres digiti. Tonsura quoque fiat desuper aures. Rasura uero fiat his terminis. Prima in nativitate. \* secunda inter nativitatem et purificationem partito tempore: tercua in purificatione. Quarta inter purificationem et pascha. \* quinta in cena domini: sexta inter pascha et pentecosten. Septima in pentecoste. octaua inter pentecosten et festum petri et pauli: nona in festiuitate eorumdem. Decima in festiuitate sancte marie magdalene. \* undecima in assumptione beate marie uirginis: duodecima in nativitate eiusdem. Terciadecima in festo sancti dyonisii. \* quartadecima in festo omnium sanctorum: quintadecima in festo beati andree.

#### **De silentio:** duodecimum capitulum

Silentium fratres nostri teneant. in claustru. in dormitorio. in cellis. in refectorio et oratorio fratrum: nisi forte silenter aliquid loquantur. non tamen oratione perfecta. Alibi uero loqui poterunt: de licentia specia li. Omnes fratres ubique intus et extra in mensa silentium teneant. tam priores quam alii. \* excepto uno qui maior fuerit inter eos. uel alio cui pro se loqui commiserit: et tunc ipse taceat. Nullus autem aliorum ibidem loquatur nisi de necessariis mense: et hoc per unicum orationem breuiter et summis. \* nisi de licentia episcoporum. seu electorum. aut maiorum his. seu etiam regum. seu etiam magistri ordinis: cum nos contigerit cum eis comedere. Si quis autem hoc silentium fregerit ex proposito. uel licentiam loquendi dederit: in uno prandio aquam bibat absque dispensatione. \* et unam disciplinam coram omnibus in capitulo accipiat: exceptis infirmis decubentibus.

Infirmi uero non decubentes a prandio usque ad uesperas silentium teneant: similiter et post signum quod fit post completorium. A minutis etiam: post primam diem sue minutionis. idem similiter obseruetur. Fratres de silentio in capitulo se accusent sicut de aliis culpis: et priorum arbitrio puniantur. Si quis tamen inter duo capitula septies silentium fregerit: in uno prandio sedeat in terra.

#### **De recipiendis:** tertium decimum capitulum

In quolibet conuentu tres ydonei fratres elegantur communi consilio capitulo: qui recipiendos in moribus et scientia diligenter examinent. \* et examinationem priori et capitulo referant: eorum iudicio an recipi debeant relinquentes. Qui dum adducti fuerint in capitulo: prosternant se in medio. Interrogati uero a prelato. quid querant: respondeant. misericordiam dei et uestram. Quibus ad iussum prelati erectis. exponat eis austoritatem ordinis: uoluntatem eorum requirens. Qui si respondeant se uelle cuncta seruare: dicat post cetera. dominus qui cepit. ipse perficiat. Et conuentus respondeat. Amen. Tunc depositis secularibus uestibus et religiosis induit: in nostram societatem in capitulo recipientur. Ueruntamen antequam stabilitatem et communem uitam promittant. \* et obedientiam prelato et successoribus suis faciant: tempus probationis assignetur.

Nullus recipiatur nisi requisitus. an sit coniugatus. an seruus. \* an ratiociniis obligatus. an alterius professionis: uel occultam habeat infirmitatem. Nullus recipiatur in fratrem clericum nisi a priore prouinciali. uel ab eo cui super hoc dederit licentiam speciale: uel a priore conuentuali. cum assensu totius uel maioris partis capitulo. Conuersum autem non recipiat prior prouincialis. nec aliquis de eius licentia. nisi de consensu conuentus ubi fuerit induendus: nec conuentus aliquis recipiat conuersum. sine licentia prioris prouincialis. Nullus recipiatur: infra decem et octo annos. Prohibemus autem ne aliquis de cetero aliquam mulierem tondeat uel induat: uel ad professionem recipiat.

#### **De nouitiis et eorum instructione:** xiiij capitulum

Prior nouitiis magistrum diligentem in instructione eorum preponat. \* qui eos de ordine doceat. in ecclesia excitet: et ubicumque negligenter se habuerint. uerbo uel signo quantum poterit eos studeat emendare. Necessaria prout potest debet eis procurare. \* de apertis negligentibus cum ante eum petierint ueniam

penitentiam dare: uel eos in suo capitulo proclaimare. Humilitatem cordis et corporis doceat eos habere: iuxta illud Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Frequenter. pure et discrete doceat confiteri. \* sine proprio uiuere. propriam uoluntatem deserere pro sui uoluntate prelati: obedientiam in omnibus uoluntariam obseruare. Quomodo ubicumque et in omnibus sese habere debeant. ipsos debet instruere: et quod locum ubi positi fuerint ubique teneant. Quomodo sibi danti aliquid uel auferenti. male uel bene dicenti: inclinare debent. Qualiter se ad cameras contineant: ut oculos sublimes non habeant. Quomodo uel quid orent. et quam silenter: ut aliis rugitum non faciant. Quomodo uenia in capitulo uel ubicumque reprehensi fuerint a prelato. sit facienda: et quod si quis fratrem suum aliquo modo scandalizauerint. tamdiu ante pedes eius prostratus iaceat. quousque placatus erigat eum.

Intruendi sunt etiam nouitii. ut cum nemine contendere presumant. et quod in omnibus magistro suo obedient. \* in processione socium sibi collateralem attendant. nec loquantur locis et temporibus interdictis: neminem penitus iudicent. \* sed si aliqua ab ullo fieri uiderint. licet mala uideantur. bona suspicentur. uel bona intentione facta: sepe enim humanum fallitur iudicium. Et quod non loquantur de absente nisi que bona sunt: disciplinas frequenter suscipiant. \* cum duabus manibus bibant. et sedendo: diligenter libros. et uestes et res alias monasterii custodiant. Et quod si quid petitum fuerit ab uno priore non petatur ab alio. nisi causa exposita: sed nec si a maiore petierint. uadant ad minorem.

Item confessiones nouitorum ante professionem recipiantur: et diligenter de modo confessionis et in aliis instruantur. Item nouitii ante professionem de debitis se expediant: et omnia alia ad pedes prioris ponant. ut se ex toto absoluant. Similiter omnes fratres singulis annis semel omnia sibi commissa prioribus suis exponent pariter et exhibeant: eorum dispositioni relinquendo. Item nouitii infra tempus probationis sue: in psalmodia et officio diuino studeant diligenter.

Item infra annum ad longinquas partes nisi ob causam necessariam nouitii non mittantur: nec in aliquo officio occupentur. \* nec uestes eorum ante professionem alienentur: nec ipsi ante professionem ordinentur.

Item nouitii non intersint capitulo. nec in dormitorio cum aliis fratribus iaceant. ubi hoc comode poterit obseruari: sed magister eorum extra capitulum culpas eorum audiat. \* et ipsos diligenter quantum potest in moribus instruat: et caritatue corripiat.

#### **De professione:** quintum decimum caputum

Modus faciendi professionem: talis est. Ego N. facio professionem. et promitto obedientiam deo. et beate marie et beato dominico. et tibi N. magistro ordinis predicatorum. et successoribus tuis. secundum regulam beati augustini. et institutiones ordinis fratrum predicatorum: quod ero obediens tibi. tuisque successoribus usque ad mortem. Cum autem fit alii priori cuicumque: sic facienda est. Ego N. facio professionem. et promitto obedientiam deo. et beate marie et beato dominico. et tibi N. priori talis loci. uice N. magistri ordinis predicatorum et successorum eius. secundum regulam beati augustini. et institutiones fratrum ordinis predicatorum: quod ero obediens tibi tuisque successoribus. usque ad mortem. Nouitorum uestes in eorum professione benedicantur hoc modo. Ostende nobis domine misericordiam tuam. Et salutare tuum et cetera. Dominus uobiscum. et cetera. Oremus. Domine ihesu christe qui tegimen nostre mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensam largitatis tue abundantiam. \* ut hoc genus uestimentorum. quod sancti patres ad innocentie et humilitatis indicium ferre sanxerunt. ita benedicere digneris: ut qui hoc usus fuerit. te induere mereatur. christum dominum nostrum. Postmodum: aspergantur aqua benedicta.

#### **De leui culpa:** sextum decimum caputum

Leuis culpa est. si quis mox ut signum factum fuerit. non relictis omnibus cum matura festinatione differat se preparare: ut ad ecclesiam ordinate et composite quando debuerit ueniat. Si quis ad gloria primi psalmi non affuerit: et ad gradus altaris non satisficerit. Si quis in choro male legendo uel cantando offendens: non statim se coram omnibus humiliauerit. Si quis diuino non intentus officio: uagis oculis et motu irreligioso leuitatem mentis ostenderit. Si quis in ecclesia. uel in dormitorio. uel in cellis. aliquid inquietudinis fecerit. \* si quis in choro riserit. uel alios ridere fecerit: si quis lectionem statuto tempore non preuiderit. Si quis aliud cantare uel legere presumpserit: quam quod communis consensus probat.

Item leuis culpa est: si quis in predicationem uadens. ociosa locutus fuerit uel egerit. Si quis dissolute ridens: cachinnis uel ludis. dictis uel factis alios ad ridendum concitauerit. Si quis oculos uagos per plateas uel uillas eundo: ad uanitates frequenter direxerit. Si quis in uigilia annuntiationis. et nativitatis domini. in principio capituli per negligentiam non affuerit: ut pronuntiatis redemptoris nostre exordiis. corde et corpore gratias agat deo redemptori. Si quis de uia ueniens. eadem hora si fieri potest benedictionem accipere neglexerit: uel absque ea plus una nocte moraturus. exierit. Si quis ad lectiones dormierit. \* si quis temporibus statutis cum aliis lectionem auditurus non affuerit: si quis libros interdictos legerit.

Item leuis culpa est: si quis ecclesie uel altaris ornamenta negligenter tractauerit. Si quis uestes suas aut libros loco statuto honeste non deposuerit: uel negligenter tractauerit. Si indumenta. uel alia dala fratri uel

concessa: sine ipsius licentia per se alius acceperit. Si quis aliquid utensilium fregerit uel perdiderit. \* si quis cibi uel potus aliquid effuderit: si liber in quo legendum est cuiuscumque neglectu defuerit. Si quis dixerit aliquid unde offendantur fratres: uel egerit. Si quis potum uel cibum: absque benedictione sumpserit. Si quis in conuentum hora qua debet uenire distulerit. \* si quis ad capitulum uel collationem non uenerit: uel communi refectioni non interfuerit: si quis commune mandatum dimiserit. Si quis clamans. in proclamatione sua iudicium fecerit: si quis eum a quo clamatus fuerit. eodem die quasi vindicando clamare presumpserit.

Item leuis culpa est: si quis cum iuramento ut in loquendo fieri solet aliquid negauerit uel affirmauerit. Si quis turpem sermonem uel uaniloquium dixerit: uel quod grauius est in usu habuerit. Si quis eorum qui officiis deputati sunt. in aliquo negligens repertus fuerit: ut sunt priores in conuentu custodiendo. \* magistri in docendo. studentes in studendo. scriptores in scribendo. cantores in officiis: procuratores in exterioribus procurandis. uestiarii in uestibus prouidendis et custodiendis et reficiendis. \* infirmorum custos in infirmis custodiendis et procurandis. et mortuis necessariis ministrandis: et ceteri in officiis suis. ut iniunctum est eis. Clamatis uel proclamatibus se de supradictis: detur penitentia secundum quod prelato uidebitur expedire.

#### **De graui culpa: decimum septimum capitulum**

Grauis culpa est. si quis in honeste in audiencia secularium cum aliquo contenderit. \* si frater cum fratre intus uel foris lites habuerit: si quis alicui fratrū obprobrium dixerit. Si quis mendacium de industria dixisse deprehensus fuerit. \* si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit: si quis culpam suam uel alterius defenderit. Si quis clamans. in clamatione sua iurgium fecerit. \* si quis in illum a quo clamatus est uel quemlibet alium maledicta seu uerba inordinata et irreligiosa maliciose inuexisse deprehensus fuerit: Si quis fratri preteritam culpam pro qua satisfecit improverauerit. Item grauis culpa est. si quis mala de patribus. uel fratribus. uel domibus suis maliciose euomuerit: que testimonio fratrū suorum probare nequiuuerit. Si quis absque licentia et magna necessitate equitauerit uel carnes comederit: uel etiam in uia pecuniam portauerit. uel portari procurauerit. Si quis procedens ubi femine sunt oculum fixerit. \* si tamen hoc in usu habuerit; uel cum femina solus non de confessionibus uel honestis. locutus fuerit. Si quis ieunia ab ecclesia instituta fregerit: sine causa et licentia. Pro huiusmodi culpis et his similibus ueniam petentibus. et non clamatis: tres correctiones in capitulo dentur. et tres dies in pane et aqua ieunent. Clamatis uero: una dies et una correctio superaddatur. Preter hec autem psalmi et uenie secundum quod discretioni rectoris uisum fuerit: pro qualitate culparum iniungantur. Eadem pena digni sunt: qui postquam missi fuerint. sine licentia reuerti presumpserint. \* uel ultra terminum sibi assignatum moram fecerint: uel si qui pro uictu uel uestitu uel qualibet alia re murmurauerint. Caueat autem quilibet frater. ne proclamet aliquem in capitulo de crimine: nisi possit probare. Quod si accusatus negauerit. et accusans in probatione defecerit: secundum exigentiam culpe. grauius puniatur. Ne autem uitia occultentur: prelato suo denunciet quod uidit uel audiuit.

#### **De grauiori culpa: decimum octauum capitulum**

Grauior culpa est. si quis per contumaciam. uel manifestam rebellionem inobediens prelato suo extiterit: uel cum eo intus uel foris proterue contendere ausus fuerit. Si quis percussor fuerit. \* si quis crimen capitale commiserit: si quis procurauerit quod ipse uel alias eximatur a potestate prelati sui. Si quis rem sibi collatam receperit: de iis que prohibentur recipi. Si quis rem collatam celauerit: quem beatus augustinus furti iudicio dicit esse condemnandum. Si proclamatus. fuerit conuictus. sponte surgat. \* et ueniam petens. sceleris sui immanitatem lamentabiliter proferat: et denudatus ut dignam accipiat suis meritis sententiam uapulet quantum placuerit prelato. et sit omnium nouissimus in conuentu. \* ut qui culpam perpetrandō. non erubuit membrum diaboli fieri: ad tempus ut resipiscat sequestretur a consortio ouium christi.

In refectorio quoque ad communem mensam cum ceteris non sedebit: sed in medio refectorii super nudam terram comedet. \* et prouidebitur ei seorsum panis grossior et potus aque: nisi prelatus ei aliquid per misericordiam impendat. Nec reliquie prandii sui cum aliis admisceantur. \* ut agnoscat se ita sequestratum a consortio aliorum: quod priuetur. nisi per penitentiam redeat consortis angelorum. Ad canonicas horas. et ad gratias post comedionem. ante ostium ecclesie. transeuntibus fratribus prostratus iaceat: dum intrant et exeunt. Nullus uero audeat se coniungere illi: uel aliquid mandare.

Prelatus tamen ne in desperationem labi possit. mittat ad eum qui est in grauiori culpa seniores: qui commoneant eum ad penitentiam. prouocent ad patientiam. \* foueant per compassionem. hortentur ad satisfactionem: adiuuent per suam intercessionem. si uiderint in eo humilitatem cordis. Quibus etiam suffragetur totus conuentus. Nec renuat prelatus: cum eo facere misericordiam. Et si uidetur ei. denuo uapulet ad pedes singulorum: primo prelati. deinde utriusque lateris sessorum. Talis quam diu erit in hac penitentia: non communicet. nec ueniat ad osculum pacis. Si predictor est: officium predicationis non exerceat. Non notetur ad aliquod officium in ecclesia. \* nec ulla ei committatur obedientia: ante plenariam

satisfactionem. Si fuerit sacerdos uel dyaconus. his officiis non fungatur: nisi postmodum religiose conuersatus fuerit.

Si quis autem quod Deus auertat. in peccatum carnis lapsus fuerit: ipsum non solum supradicta pena. scilicet grauiori puniendum censemus. Si quis tale quid extra monasterium commiserit: frater qui cum eo est studeat excessum eius quam citius corrigendum prelato intimare. Correctus autem ad locum in quo tale quid commiserit ulterius non redeat: nisi ita religiose fuerit conuersatus. quod per diffinitores generalis uel prouincialis capituli. illuc reuersurus iudicetur. Si uero huiusmodi peccatum occultum fuerit: disquisitione secreta secundum tempus et personam. condignam agat penitentiam. Si quis autem peccauerit. et confiteri uoluerit socio suo illud alias cognoscenti. \* frater confessionem eius non recipiat: nisi tali conditione ut cum opportunitas fuerit ipsum possit proclamare.

Si qui per conspirationem uel coniurationem. uel per maliciosa concordiam aduersus priores uel prelatos suos manifeste se erexerint. \* supradicto modo peniteant. et de cetero in omni uita sua extrellum locum sui ordinis teneant: et uocem in capitulo nisi in sua accusatione non habeant. neque eis aliqua obedientia iniungatur. Si qui tamen fratres non maliciose sed in ueritate aduersus prelatum aliquid habuerint. quod tolerari non debeat. nec deceat: prius eum inter se cum omni humilitate et caritate. de sua correctione admoneant. Quod si frequenter admonitus se corrigeret neglexerit aut contempserit: priori prouinciali significant. uel uisitoribus. \* ut cum ad eandem domum uisitandam uenerint. causa manifeste indicetur: et diffinitoribus capituli prouincialis. uel generalis significetur. Aliter prelatos suos subditi infamare non presumant.

#### **De grauissima culpa: decimum nonum capitulum**

Grauissima culpa est: incorrigibilitas illius qui nec culpas timet admittere: et penam recusat ferre. \* de quo preceptum est patris nostris augustini. ut etiam si ipse non abcesserit de nostra societate proiciatur: secundum apostolum qui hereticum hominem post correctionem adhibitam. et incorrigibilitatem patefactam. deuitari iubet tanquam peccantem peccatum ad mortem. quia subuersus est qui huiusmodi est. Hic quidem habitu exutus. et uestibus secularibus indutus. exire compellendus est: et ita sicut a corde professionem abiecit. \* sic et accepta professionis insignia deponere cogatur: si tamen usque ad horam illam sani capit is et integri sensus extiterit. Nemini uero sub qualibet occasione unquam est danda licentia aliter recedendi. \* ne ordo et canonica disciplina ueniant in contemptum: dum habitus religionis canonice despiciuntur in indignis.

#### **De apostatis: uigesimum capitulum**

Quicumque apostatauerit. si infra quadraginta dies non redierit: excommunicabitur. Si uero misertus sui redierit: depositis uestibus in claustro. nudus cum uirgis in capitulum ueniet. \* et prostratus culpam suam dicet. et humiliatus ueniam petet: et quamdiu prelato placuerit penis grauioris culpe subiacebit. et in capitulo nudum se presentabit semel in singulis septimanis.

Infra hoc tempus penitentie: ubique in conuentu novissimus erit: et duobus diebus in qualibet septimana per annum ieunabit in pane et aqua. Et peracta penitentia ad priorem locum non redeat nisi per diffinitores prouincialis capituli cum eo fuerit dispensatum. \* ita tamen quod anni quibus fuerit in apostasia. non computentur ei quoad locum. sed sit sub omnibus illis qui habent plures annos in ordine. quam ipse habuerit quando exiuit. Quod si secundo fugerit et iterum redierit. supradicto modo peniteat. et priori anno secundus annus addatur: si tertio tercius. si quarto quartus. Omnibus tamen fratribus pro huiusmodi penitentibus humiliter in capitulo deprecantibus: prelatus cum eorum penitentiam perspexerit. eis indulgere uel remittere poterit. secundum quod sue discretioni uisum fuerit. uel placitum.

Si quis in apostasia ordinatus fuerit. uel post excommunicationem diuina celebrare presumpserit in ea: executione officii perpetuo carebit. \* nisi forte postea ita religiose conuersatus fuerit: ut cum eo autoritate sedis apostolice dispensemetur. Qui uero semel apostatauerit. uel de lapsu carnis manifeste conuictus fuerit. \* de cetero non predicet nec audiat confessiones: nisi per diffinitores generalis capituli uel prouincialis fuerit restitutus.

#### **Distinctio secunda**

#### **De domibus concedendis et construendis: primum capitulum**

Nulla domus concedatur. nisi a priore prouinciali et diffinitoribus prouincialis capituli fuerit postulata: nec concessa ponatur nisi ubi predicti uiderint expedire. Conuentus citra numerum duodenarium. et sine licentia generalis capituli et absque priore et doctore: non mittatur. Item nulla domus transferatur de prouincia in prouinciam: nisi per tria capitula fuerit approbatum.

Mediocres domos et humiles fratres nostri habeant: ita quod murus domorum sine solario non excedat in altitudine mensuram duodecim pedum. \* cum solario uiginti: ecclesia triginta. \* nec fiat lapidibus

testudinata: nisi forte super chorū et sacristiam. Si quis uero de cetero contra fecerit: pene grauiori culpe debite. subiacebit. Item Possessiones seu redditus nullo modo recipientur: nec ecclesie quibus animarum cura sit annexa Nullus etiam audeat instare uel rogare: pro beneficiis suis consanguineis obtinendis.

In uirtute obedientie. et sub pena excommunicationis districte prohibemus. \* ne aliquis fratrum nostrorum laboret uel procuret de cetero: ut cura uel custodia monialium seu quarumlibet aliarum mulierum nostris fratribus committatur. Hac eadem districtione prohibemus. \* ne magister uel capitulum aliquod curam recipiat predictarum: nisi per tria capitula fuerit approbatum. Si quis uero contraire presumpserit: pene grauiori culpe debite subiacebit.

Mulieres claustrum uel oratorium uel alias officinas nostras numquam ingrediantur: nisi in die consecrationis ecclesie. In parascheue uero tantum chorū poterunt intrare: usque ad officium. Statuatur semper aliquis frater clericus uel conuersus. discretus. matus et securus. qui sit portarius: et diligenter ea que ad officium portarii pertinent exequatur. Poterit autem aliquem fratrem uel secularem honeste conuersationis habere in adiutorium: cum necessitas hoc requiret.

#### **De electione prioris conuentualis. et institutione supprioris:** secundum capitulum

Priores conuentuales a suis conuentibus secundum formam canonicam elegantur: a maiori uidelicet parte eligentium uel per compromissionem. uel communem inspirationem. \* aliis iuris subtilitatibus relegatis: quod similiter in electione magistri ordinis et priorum prouincialium obseruetur. \* et a priore prouinciali si ei uisum fuerit confirmetur: sine cuius licentia de alio conuento eligendi non habeant potestatem. Conuentus autem qui petit confirmationem electi in priorem: numerum et nomina scribat eligentium. Si uero infra mensem non elegerint: prior prouincialis conuentui prouideat de priore. fratres autem post duos annos a professione: ad electionem prioris conuentualis admittantur. Si uero de alia fuerint prouincia. \* postquam per annum steterint in domo alterius prouincie ad quam missi fuerint: admittantur ad electionem predictam.

Prior conuentualis de consilio discretorum fratrum instituat suppriorem. \* cuius officium erit habere diligentiam circa conuentum et curam. et corripere delinquentes. et in aliis quantum prior assignauerit ei uel permiserit. Idem autem supprior. mortuo priore uel amoto. uices eius in omnibus plenarie obtineat. \* quounque prior eiusdem loci fuerit electus. et confirmatus et in domo presens extiterit: nisi prior prouincialis aliter ordinauerit.

Si uero mortuo priore uel amoto domus suppriore caruerit. \* tres fratres illius conuentus qui primitus habitum nostri ordinis suscepérunt. aliquem fratrem de illo conuento elegant. qui uices supradictas prioris obtineat: quounque domus ipsa priorem presentem habeat uel suppriorem. uel prior prouincialis aliter ordinauerit. In cotidianis uero capitulois non accusetur: nisi aliquando pro aliquo maiori excessu. secundum quod priori uisum fuerit. proclametur.

#### **De electione prioris prouincialis:** tertium capitulum

Statuimus ut mortuo priore prouinciali uel amoto: prior conuentualis illius loci in quo primum capitulum prouinciale fuerit celebrandum. uicem eius obtineat. Si autem uicarium infra tempus uicarie sue mori uel amoueri contigerit: prior illius domus ubi capitulum prouinciale antecedens celebratum fuerat. uicem prioris prouincialis in omnibus obtineat. \* et sic deinceps. donec prior eiusdem prouincie sit electus et confirmatus: et ipse uel ille cui uices suas commiserit. presens in prouincia extiterit.

Mortuo priore prouinciali uel amoto: prior qui eius locum obtinet. teneatur conuocare quam citius poterit electores. \* et tunc prior prouincialis elegatur: et prouinciale capitulum celebretur. nisi prius fuerit celebratum. Quod si tunc non elegerint qui debent eligere: potestas eligendi ad magistrum ordinis transferatur. Volumus autem quod electio predicta spectet tantum ad priores conuentuales. et duos fratres de quolibet conuento ad hoc idem electos: omnibus fratribus ad conuentum illum pertinentibus. si commode potest fieri conuocatis. \* qui secundum formam inferius in electione magistri positam. electionem huiusmodi celebribant: hoc excepto quod eos includi fierit in electione magistri non oportet.

Statuimus ut prior prouincialis. in capitulo generali a magistro et diffinitoribus. premissa diligenti examinatione: confirmetur uel amoueatur. Poterit nichilominus eum magister ordinis confirmare: uel amouere. Quod si ordo magistrum non habuerit. \* tres de ipsis electoribus alii ab electo. qui primitus habitum nostri ordinis suscepérunt: ipsum confirmandi uel compellendi ad officium. habeant potestatem. Quod si non concordauerint: duorum sententia prualebit. Si uero electum non confirmauerint. \* ab eisdem electoribus ad electionem iterum procedatur: et ad tres antiquiores secundum predictam formam confirmatio pertinebit. Prōvincialis autem prior eamdem habeat potestatem in sua prouincia uel regno. quam et magister ordinis.

\* et eadem sibi reuerentia et obedientia a comprouncialibus exhibeatur. que magistro exhibetur: nisi magister presens extiterit. Item prior prouincialis: prouinciam suam uisitare curet. Cum autem commode non ualuerit: poterit committere uices suas.

**De electione magistri: quartum capitulum**

Statuimus ut si ante festum sancti michaelis magistrum mori contigerit. \* prior conuentualis uel prouincialis qui propinquior illi loco extiterit ubi magister decesserit: parisiensi uel bononiensi conuentui. sibi scilicet propinquiori cum festinatione denunciet. Alteruter autem istorum conuentuum cui primo denunciatum fuerit: teneatur similiter reliquis nunciare. Parisiensis prouincialibus hispanie. prouincie. anglie. theutonie. dacie. \* bononiensis uero: hungarie. romane provincie. polonie. terre sancte. grecie. teneantur quam citius intimare. Si autem post dictum festum magister decesserit. ipsius obitus nichilominus nuntietur: ut supersedeatur illo anno a capitulo generali.

Mortuo igitur magistro uel a magisterio remoto. \* priores prouinciales in omnibus quoisque magister sit electus plenariam ipsius obtineant potestatem: et eis omnes tamquam magistro teneantur in omnibus obedire. Si autem inter se medio tempore fratres aliquando discordauerint: obtineat sententia plurium. Quod si partes fuerint pares. \* assumunt unum de fratribus illis qui uocem habuerint in electione magistri: et cui parti concordauerit uigorem obtineat firmitatis. Quod si adhuc discordauerint. uerum alias eligatur: et sic deinceps. donec in parte altera possit maior numerus inueniri. Quod si non omnes priores prouinciales ad electionem magistri conuenerint: illi quos ex ipsis uenire contigerit. supradictam habeant potestatem.

Prouinciales igitur priores duodecim prouinciarum. singuli cum duobus fratribus in capitulo prouinciali electis. in quos ceteri de ipso prouinciali capitulo ad electionem magistri faciendam compromittant: ad capitulo ueniant generale. Qui postquam fuerint congregati in uigilia pentecostes: a prioribus conuentualibus illius prouincie. et a fratribus presentibus in loco in quo electio est facienda. in uno conclavi firmiter includantur. \* ita quod inde nullatenus egredi ualeant. nec eis ullo modo aliqua alimenta ministrentur: quoisque magister ordinis secundum formam canonicam sit electus. Hoc autem tam ab electoribus quam a recludentibus precipimus firmiter obseruari. Quod si quis contraire presumpserit. ipso facto sit excommunicatus: et penam grauiori culpe debitam sustinebit.

Forma autem electionis hec est. Electoribus supradicto modo inclusis. cum per disquisitionem uel scrutinium uoluntatum procedet electio. \* tres de prioribus prouincialibus qui inter alios duodecim prouinciales. primitus habitum religionis nostre suscepereunt. uoluntates singulorum singulatim et seorsum aliquantulum in eadem domo coram oculis omnium disquirant et conscribant. Quod si gratia inspirante in unum aliquem omnes unanimiter concordauerint: ille uerus magister ordinis habeatur. Si uero in partes inequales se diuiserint. \* ille in quem plures medieate omnium elegantium consenserint: ex ui talis electionis et huius constitutionis sit magister. Quod si aliquem uel aliquos de electoribus contigerit non uenire: nichilominus tamen per eos qui aduenerint electio magistri celebretur. Hoc autem ita fiat: ut semper in secunda feria pentecostes. magistrum habeat capitulo. antiquum uel nouum. presentem uel absentem. \* quia tunc incipit sollemniter celebrari: ne acephalum iudicetur.

Hec omnia que circa electionem magistri statuta sunt: absque contradictione uolumus et precipimus firmiter obseruari. Quicumque autem ausus fuerit contradicere pertinaciter uel etiam rebellare: tamquam excommunicatus et scismaticus et destructor nostri Ordinis habeatur. \* et quoisque satisfecerit a communione omnium sit penitus alienus: et pene grauioris culpe subiaceat. Precipimus etiam in uirtute spiritus sancti: ut nullus ante electionem magistri. circa statum ordinis audeat aliud immutare.

**De electione diffinitorum capituli prouincialis et generalis: quintum capitulum**

Statuimus quod singulis annis in singulis capitulis prouincialibus. hispanie. prouincie. francie. lombardie. romane prouincie. hungarie. theutonie. anglie. grecie. polonie. dacie. hierosolimitane. quatuor fratres de discretioribus et magis idoneis a prouinciali capitulo per disquisitionem prioris prouincialis. et prioris et supprioris eius loci ubi capitulo celebratur. uel si unus defuerit. per disquisitionem duorum: hoc modo elegantur. Predicti siquidem tres uel duo si tertius defuerit. \* uoluntates singulorum singulatim et seorsum aliquantulum. in eadem domo coram oculis omnium disquirant: et conscribant fideliter. Deinde in continenti et in loco eodem antequam fratres discedant. uel ad inuicem colloquantur: scripturam publicent in medium. expressis nominibus elegantium et electorum. Et in quibus plures concordauerint: illi pro diffinitoribus habeantur. Si autem partes fuerint pares. \* tunc eodem modo disquisitionis uoluntatum. unus de fratribus qui uocem in predicta electione non habuerit. elegatur: et cui parti ille consenserit. illi pro diffinitoribus a capitulo recipientur. Quod si in electione istius adhuc discordauerint. \* per eumdem modum alias elegatur: et sic deinceps. donec in parte altera maior possit numerus inueniri.

Statuimus etiam ut per duos annos in dictarum duodecim prouinciarum capitulis. aliquis de magis idoneis a capitulo elegatur. secundum formam supradictam in electione diffinitorum capulti prouincialis. qui sit generalis capituli diffinitor: cui socius competens a priore prouinciali et diffinitoribus assignetur. Quod si supersedeatur illo anno a capitulo generali: qui in sequenti capitulo prouinciali electus fuerit. habeatur generalis capituli diffinitor. Si uero in medio tempore decesserit. uel in priorem prouincialem electus fuerit et confirmatus. \* uel aliquo modo fuerit impeditus quod uenire non possit ad capitulo generale: ipso iure socius eius loco ipsius diffinitor habeatur. Quod si alterum ipsorum supradicto modo impediri contigerit:

primus conuentus ad quem declinauerit. teneatur ei de competenti socio itineris prouidere. Fratres qui in uno anno electi sunt in diffinitores capituli prouincialis: sequenti anno ad idem officium non eligantur. Idem dicimus. de diffinitoribus capituli generalis.

#### **De capitulo cotidiano:** sextum capitulum

Finitis matutinis tenetur capitulum. uel aliquando post primam. \* aliquando etiam intermittatur ne studium impediatur: secundum quod prelato uidebitur. Ingresso conuentu capitulum. \* lector pronuntiet lunam et que de kalendario pronuntianda sunt: et sacerdos prosequatur pretiosa est et cetera. Deinde residentibus fratribus. lector pronuntiet lectionem de institutionibus. uel de euangeli pro tempore. premisso Iube domne. \* et ebdomadarius subiungat benedictionem: Regularibus disciplinis. uel Diuinum auxilium. pro tempore. Et facta absolutione pro defunctis: dicat qui tenet capitulum. benedicte. Et responso Dominus: inclinent omnes.

Deinde recitatis beneficiis. et dicto a priore Retribuere dignare et cetera. \* dictis etiam a conuentu psalmis Ad te leuaui. et de profundis. Kyrie eleyson. cum Pater noster: subsecutis etiam tribus uersiculis. Oremus pro domino papa. Saluos fac seruos tuos. Requiescant in pace. Dominus uobiscum. ab ebdomadario dicendis. \* cum his tribus collectis. Omnipotens sempiterne deus qui facis. Pretende. Fidelium deus: resideant fratres. Tunc prelatus poterit dicere breuiter: si quid ad honestatem et correptionem fratrum uiderit expedire. Post hec autem: egrediantur nouitii. Quibus egressis: dicat qui preest. Faciant uenias: qui se reos estimant. Continuo qui se reos intellexerint: prostrati ueniam petant. Dein surgentes: humiliter confiteantur culpas suas. Et quorum culpa talis est que digna est correctione. preparent se ad correctionem: quam prior faciat. uel ille cui ipse iniunxerit.

In capitulo fratres nisi duabus de causis non loquantur. \* scilicet culpas suas uel aliorum dicendo simpliciter: et prelatis suis tantum ad interrogata respondendo. Uno etiam stante uel loquente: aliis non loquatur. Nullus faciat proclamationem super aliquem: ex sola suspitione. Item. nullus accuset de auditu: nisi dicat a quo audierit. Similiter quisque caueat. ne malum quod audiuuit de alio alteri referat: nisi dicat a quo audierit. Auditis uero culpis. dicitur psalmus Laudate dominum: cum uersu ostende nobis domine. et dominus uobiscum. et collecta Actiones et cetera. In fine dicat prior Adiutorium nostrum in nomine domini: et sic soluitur capitulum.

#### **De capitulo prouinciali:** septimum capitulum

Capitulum prouinciale post capitulum generale. ubi et quando prior prouincialis cum consilio diffinitorum elegit: celebretur. Capitulum autem prouinciale appellamus. \* priores conuentuales cum singulis sociis suis a pluribus de capitulo suo ultra medietatem eligentium electis: et predicatores generales. Predicatores autem generales dicimus: qui per priorem prouincialem et diffinitores capituli prouincialis fuerint instituti. Nullus uero prior conuentualis ducat secum plures fratres ad capitulo generale uel prouinciale: sine causa legitima. Quod si priorem prouincialem abesse contigerit. nec uicem suam alicui commiserit: prior illius loci ubi capitulum fuerit celebrandum. cum diffinitoribus capituli. in celebratione procedat eiusdem.

Predicti igitur diffinitores: tractabunt omnia et diffinient cum priore prouinciali. Quod si in suis diffinitionibus in partes eequales se diuiserint: illorum sententia preualebit. in quorum partem prior prouincialis concordauerit. Alias enim: sententia plurium preualebit. Isti autem quatuor diffinitores excessum prioris prouincialis confessi uel proclamati in capitulo prouinciali coram fratribus audiant et emendent: ei penitentiam iniungentes. Si autem quod absit incorrigibilis extiterit: ipsum usque ad capitulo generale suspendant ab officio prioratus. \* aliquem idoneum loco eius substituentes: et eius excessum referant ad capitulo generale. scripto communiter sigillato. Accusationi uero et correctioni: professi post triennium ab ingressu poterunt interesse. Infra uero idem tempus fratres alii non admittantur in conuentibus: ad discussionem eorum que ad capitulo generale uel prouinciale sunt mittenda. \* nec ad electionem socii prioris conuentualis: nec ad electionem electorum prioris prouincialis.

Priores cum suo conuentu. capitulo prouinciali singulis annis scribant debita domus sue: et causas etiam debitorum. Item nulla petitio offeratur capitulo prouinciali nisi a conuentu: nec generali nisi a capitulo prouinciali fuerit approbata. Nullus uero religiosus alterius ordinis uel professionis. nullusque secularis cuiuscumque ordinis uel professionis uel dignitatis uel uite: secretis uel tractatibus capituli aliquatenus admittatur.

#### **De capitulo generali:** octauum capitulum

Capitulum generale uno anno parisius. alio anno bononie celebretur: nisi magistro et diffinitoribus ex causa legitima quandoque aliud uideatur. Predicti autem duodecim prouinciarum diffinitores duobus annis. \* et duodecim priores prouinciales tercio anno: cum magistro ordinis omnia diffinient et constituent et tractabunt. Quod si in partes eequales se diuiserint: illorum sententia preualebit. in quorum partem magister ordinis declinauerit. Si uero in partes inequaes: obtineat sententia plurium. Si autem per

adiunctionem magistri partes fiant equeales: unus eligatur secundum quod in electione diffinitorum prouincialium superius est statutum.

Quod si ad capitulum aliquo casu prepediti non omnes uenerint: illi quos ex ipsis uenire contigerit. cum magistro ordinis omnia pertractabunt. Si uero magistrum aliqua occasione abesse contigerit: nichilominus predicti diffinitores in diffinitione procedant. Quod si non omnes in unam sententiam concordauerint: forma superius posita teneatur. Isti autem diffinitores habebunt plenariam potestatem super excessu magistri ordinis corrigendo: uel de eo penitus remouendo. Ipsorum uero sententia tam in his quam in aliis inuiolabiliter obseruetur: ita quod a nemine ab illorum sententia liceat appellari. Et si appellatum fuerit: friuola et nulla appellatio habeatur. Appellationem enim in nostro ordine sub interminatione anathematis fieri prohibemus: cum non uenerimus contendere. sed potius delicta corrigere.

Diffinitores itaque predicti: excessum magistri ordinis seorsum corrigan et emendent. Qui coram ipsis humiliter se prosternens. ueniam faciat. \* et stans de suis excessibus se accuset: et diffinitores audiat accusantes. Quod si preuaricator ordinis fuerit aut contemptor, aut adeo negligens et remissus. quod ordinis dissolutionem et destructionem inducat. \* moneatur a diffinitoribus ut magistratui cedat: et locum ad manendum sibi eligat. ubi possit honeste conuersari. Alioquin: amouendi ipsum ab officio liberam habeant potestatem. Cessio autem magistri non admittatur a diffinitoribus: nisi propter aliquod predictorum. aut defectum aut impotentiam que ipsum ab executione officii magistratus perpetuo impediret. Perpetuum autem dicimus: quod diffinitores de prudentum consilio perpetuum iudicabunt.

In uirtute spiritus sancti et obedientie precipimus firmiter obseruari. \* ne quis causam depositionis magistri. uel prioris prouincialis. uel eius excessum uel correctionem. uel secretum capituli. seu dissensiones diffinitorum uel fratum unde ordo noster possit turbari uel infamari: audeat scienter extraneis publicare.

Si quis autem ex deliberatione contra fecerit. \* tamquam excommunicatus et scismaticus et destructor nostri ordinis habeatur: et quounque satisfecerit. a communione omnium sit penitus alienus. Eadem distictione precipimus: ne quis uerbo uel facto ad diuisionem nostri ordinis audeat laborare. Quod si fecerit: pene subiaceat supradicte.

Statuimus. ut si in anno diffinitionis priorum prouincialium electio magistri celebretur. \* illo anno unus de fratribus electoribus de qualibet prouincia. qui in prouinciali capitulo ad hoc electus fuerit: ad diffinitionem cum eis pariter admittatur. Si uero in anno diffinitorum celebretur. \* tunc cum diffinitoribus priores prouinciales conueniant: et utrorumque diffinitio fit communis.

Statuimus et in uirtute spiritus sancti et obedientie et sub interminatione anathematis prohibemus districte: ne priores prouinciales fratribus diffinitoribus: uel fratres diffinitores prioribus prouincialibus per suas diffinitiones preiudicium aliquod audeant generare. Quod si facere attemptauerint: eadem distictione prohibemus. ne in hoc aliquis presumat eis obedire.

Priori prouinciali eunti ad capitulum generale: detur socius a diffinitoribus prouincialis capituli. Statuimus insuper quod omnes priores conuentuales cum sociis suis. et predicatores generales illius prouincie in qua generale capitulum celebratur. \* illo anno ueniant ad capitulum generale: nec eodem anno in illa prouincia ad celebrandum aliud capitulum prouinciale teneantur.

### **De solemi celebratione capituli: nonum capitulum**

Cum in secunda feria post pentecosten fratres in capitulum uenerint. \* primo omnium deuote inuocetur spiritus sanctus a quo filii dei aguntur: et dicatur uersus emitte spiritum tuum et cetera. cum collecta de spiritu sancto. Deinde residentibus fratribus et loca sua tenentibus omnibus: ut uerbo dei celi firmentur. uerbum dei in communi fiat. Sermoni autem interesse poterunt: qui ad edificationem interesse uoluerint.

Finito sermone. quia indigentibus quantotius subueniendum est: obitus fratrum in anno defuctorum in communi recitentur. et fiat eis communis absolutio. \* et dicatur pro eis psalmus De profundis. Kyrie eleyson. Pater noster. cum uersu A porta inferi. et orationem Absolue domine. Postmodum si littere legende sunt legantur. \* et eis suo tempore cum consilio respondeatur: et sic omnes qui non sunt de capitulo egrediantur. Quibus egressis: qui missi sunt ad excusandos eos qui non assunt. ad quid uenerint loquantur. Deinde culpe audiantur.

Ut autem in exeundo modus seruetur: nullus exeat sine licentia et necessitate. Egressus autem non discurrat: sed expleta necessitate citius reuertatur. Qui autem in presenti anno uisitare debuerant. et non sicut oportuit fecerunt: culpam suam dicant. et digne vindicte subiaceant. Tunc etiam absentibus qui adesse debuerant. et iis qui peccauerunt nec satisfecerunt: penitentia scripta mittatur. Conuentus uero qui mittit accusationes ad capitulum generale uel prouinciale. \* scribat numerum et nomina accusantium: et si accusant de auditu uel uisu. Accusatio autem unius tantum. ad capitulum generale uel prouinciale non mittatur: et tractatus eorum que mittenda sunt ad capitulum. ultra unam diem non prolongetur.

Qui habent questiones facere siue proprias siue communes adordinem uel predicationem pertinentes.

\* proponent fratribus a magistro et diffinitoribus ad hoc statutis: ut suo loco et tempore soluantur et terminentur. Si que uero dissensio inter fratres nostri ordinis quod absit emerserit de libris uel de aliis: cum

preponenda sint spiritualia temporalibus. non agatur inde in capitulo. \* sed dicti fratres extra capitulum discussa ueritate dissensionem dirimant: et inter fratres pacem restituant.

De solutione autem et terminatione questionum. de correctione fratrum. de modo penitentiarum. et predictoribus ob predicandum et studendum mittendis: prelatus maior cum aliis qui ad hoc statuti sunt tractabit. \* et quicquid inde spiritu sancto donante ordinauerint: capitulum uniuersaliter et unanimiter et deuote suscipiat. Nullus murmuret. nullus reclamet:

nullus contradicat. In fine fiat communis confessio et absolutio. \* perseuerantibus benedictio: apostatis et profugis anathematis maledictio. Et hec eadem forma: in capitulo prouinciali similiter obseruetur.

Porro magister ordinis aut priores prouinciales non mutent acta prouincialis capituli aut generalis: nisi forte in speciali ex causa necessaria et utili. Similiter generalem statum ordinis. uel consuetudinem diu obtentam et communiter approbatam in ordine. \* nec magister ordinis nec priores prouinciales aliquatenus ualeant immutare: nisi per tria capitula fuerit approbatum. Ea uero que de generali capitulo dicta sunt: in uigilia pentecostes debent inchoari.

### **De capitulo generalissimo:** decimum capitulo

Capitulum generalissimum non conuocetur: nisi quando maior pars prouinciarum petierit. uel magistro uisum fuerit expedire. Prouincie autem que petunt: sribant causas quare petunt. De his tamen capitulum generale non habebit iudicare: utrum sufficienes sint uel non. Sed tamen scribantur: ut fratres de eis ante capitulum conferre ualeant. Priores autem prouinciales singuli cum duobus sociis a capitulo suo prouinciali electis: tale capitulum celebrabunt. Duobus etiam annis ante pronuncietur: nisi urgens fuerit necessitas.

Anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo uigesimo octauo. conuenerunt parisiis in domo sancti iacobi. priores prouinciales una cum fratre Iordanu magistro ordinis nostri. \* singuli cum duobus diffinitoribus sibi a prouincialibus capitulis deputatis: in quos fratres omnes uota sua unanimiter transtulerunt. eisdem potestatem plenariam concedentes. \* ut quicquid ab eis fieret siue in constituendo. siue in destituendo. mutando. addendo uel diminuendo. de cetero firmum ac stabile permaneret: nec liceret alicui quantecumque autoritatis capitulo eorum aliquid immutare. que ipsi statuerunt perpetuis temporibus permansura.

Priores igitur iam prefati. cum suis diffinitoribus gratia sancti spiritus inuocata. \* quasdam constitutiones ad utilitatem et honestatem et conseruationem ordinis premissa diligent examinatione unanimiter et concorditer ediderunt: quas in locis suis inter constitutiones alias inserere procurarunt. Inter illas autem quasdam uoluerunt inuiolabiliter et immutabiliter et in perpetuum obseruari. \* uidelicet de possessionibus et redditibus nullatenus recipiendis. de appellationibus remouendis: et quod non possit per fratres diffinitores prioribus prouincialibus. neque per priores fratibus. in suis diffinitionibus. in aliquo preiudicium generari. Quasdam uero sic uoluerunt immutabiles permanere. \* ut nonnisi a consimili capitulo. nouis emergentibus articulis. casibus uel negotiis. de ipsis possit aliquid pro tempore immutari: uidelicet de constitutionibus non faciendis nisi per tria capitula generalia continua fuerint approbate. \* de non equitando. de expensis non portandis. de carnisbus nisi causa infirmitatis non comedendis: ita tamen. ut in his pro loco et tempore prelato liceat dispensare.

### **De visitatoribus:** undecimum capitulo

Statuimus quod quatuor fratres ad uisitandam prouinciam in capitulo prouinciali predicto modo elegantur. \* uel plures secundum quod capitulo prouinciali uidebitur expedire: qui excessus priorum conuentualium et fratrum audiant et emendent. absque constitutione. et status domus immutatione. Loca uero sua ubique teneant. nisi in capitulo dum ab eis officium sue correctionis exercetur: quod in tribus diebus continuis terminetur. Si que autem grauia et periculosa inuenerint. licet correcta fuerint: nichilominus cum testimonio maioris partis capituli eiusdem. generali capitulo studeant denuntiare.

Uisitatores presentes uerbo. absentes scripto. referre debent diffinitoribus prouincialis capituli. uel generalis cum in sua prouincia celebratur. de iis quos uisitauerunt fratibus: si in pace continui. in studio assidui. in predicatione feruentes. \* que de eis fama. quis fructus: si in uictu et uestitu et in aliis secundum tenorem institutionum ordo seruetur. Priores autem seu lectores: in uisitatores nullatenus elegantur. Quod si aliquis uisitator antequam uisit in priorem fuerit electus et confirmatus. uel mortuus: prouideat prior prouincialis de alio fratre qui uisit loco eius.

### **De predictoribus:** duodecimum capitulo

Prouideant diligentissime priores ne committant predicationis officium nisi fratibus ad hoc idoneis. et moribus et scientia approbatis. \* ne ex insufficientia predicantium ordo ueniat in contemptum: et uergat in periculum animarum. Statuimus autem ut nullus fiat predictor generalis. antequam theologiam audierit per tres annos: et nisi sit maturus et discretus ad negotia ordinis in capitulis pertractanda. Ad exercitium

autem predicationis postquam theologyam per annum audierint possunt admitti: qui tales sunt de quorum predicatione scandalum non timetur.

Nullus assumatur ad predicationis officium extra claustrum uel fratrum consortium: infra uigintiquinque annos. Ii uero qui apti sunt cum in predicationem exire debuerint: eis socii dabuntur a priore secundum quod moribus eorum et honestati expedire iudicauerit. Qui accepta benedictione exeuntes. \* ubique tamquam uiri qui suam et aliorum salutem procurare desiderant. religiose et honeste se habeant sicut uiri euangelici: sui sequentes uestigia saluatoris. \* cum deo. uel deo secum uel cum proximis utiliter loquendo:

uitabunt suspitosi comitatus familiaritatem.

Omnes qui ad iam dictum predicationis officium sunt deputati. nullam habeant administrationem seu curam temporalium: ut expeditius et melius iniunctum sibi ministerium spiritualium ualeant adimplere. \* nisi forte ubi non sit aliquis alius qui necessaria procuret: cum in necessitatibus diei presentis oporteat aliquando occupari. Placitis et causis nisi pro fidei negotiis: non intersint. Cum fratres nostri dyocesim alicuius episcopi ad predicandum intrauerint. \* primo si poterunt episcopum uisitabunt: ut secundum consilium eius in populo faciant fructum quem facere intendunt. Et quamdui in eius episcopatu fuerint: in iis que contra ordinem non fuerint. ipsi deuote obedientes erunt.

Predicare non audeat aliquis in dyocesi illius episcopi. qui ei ne predictet interdixerit: nisi litteras et mandatum habeat summi pontificis. Caeuant etiam fratres nostri. ne ponendo os in celum. suis predicationibus religiosos et clericos scandalizent: sed ea que in ipsis emendanda uiderint. obsecrando ut patres. seorsum emendare procurent. Socius datus predictori: ipsi ut priori suo obediatur. Statiuimus ne fratres nostri in predicationibus suis dari uel colligi pecuniam admoneant: pro domo uel aliqua persona speciali.

#### **De itinerantibus: tertium decimum capitulum**

Euntes ad predicationis officium exercendum. uel alias itinerantes. \* aurum. argentum. pecuniam aut munera. excepto uictu et necessariis indumentis et libris: nec accipient nec portabunt. Si quis autem acceperit aliquid de predictis: teneatur prelato suo cum redierit libere presentare. Fratres etiam non recipient a mulieribus munuscula. nec dent: et maxime confessores. Item fratres non sint dispensatores alienarum rerum uel pecuniarum: nec exteriorum deposita recipient. nisi librorum aut paramentorum ecclesiasticorum.

Predicatores uel itinerantes cum in via existunt. officium suum dicant prout sciunt et possunt: et sint contenti officio ecclesiarum ad quas quandoque declinant. Fratres etiam uiatores litteras testimoniales secum ferant: et in conuentibus ad quos declinauerint. de excessibus suis corrigantur. In quacumque autem prouincia fratres itinerantes deliquerint. \* prior prouincialis. uel conuentualis. seu eorum uicarii. supprior. uisitator et ceteri. in cuius terminis inuenti fuerint: corrigendi ipsos sicut fratres suos liberam habeant potestatem.

Prior in ordine sit prior in via: nisi forte predictori adiungatur. uel cum egrediuntur aliter prior ordinauerit de eis. Nullus fratum uadat ad curiam nisi de licentia magistri uel capituli generalis. \* sed mittatur nuncius ad fratres qui sunt ibi: uel per aliquem alium prout melius fieri poterit. negotium procuretur. Prior priorem superuenientem honoret: sed hospes per ciuitatem sine consilio eius non discurrat. nec moram faciat. Fratres minores sicut et nostri caritatue et hilariter recipientur: et secundum facultatem domus pie et honeste procurentur.

Quicumque prior prouincialis sine licentia magistri. uel frater aliis quicunque sine licentia magistri uel prioris prouincialis. archiepiscopatum uel episcopatum receperit. \* nisi per talem obedientiam cogatur quam transgrediendo peccaret mortaliter: ipsum statuto presenti. suffragiis. societate. ac omnibus beneficiis ordinis. tam in morte quam in uita priuamus. Fratres ordinis nostri episcopis uel aliis quibuscumque personis extra ordinem assignatos. qui in ieuniis et abstinentiis. uictu et uestitu. statuta ordinis non seruant. \* suffragiis et beneficiis ordinis tam in uita quam in morte priuamus: quousque super huiusmodi excessu adeo digne satisfecerint. quod per magistrum uel prouinciale suum ad huiusmodi beneficia restitui mereantur.

#### **De studentibus: quartumdecimum capitulum**

Quoniam circa studentes. diligens est adhibenda cautela: aliquem specialem fratrem habeant. sine cuius licentia non scribant quaternos. nec audiant lectiones. \* et que circa eos in studio corrigenda uiderit corrigat: et si uiires eius excedat. prelato proponat. In libris gentilium et phyllosophorum non studeant: et si ad horam inspiciant. Seculares scientias non addiscant: nec artes quas liberales uocant. \* nisi aliquando circa aliquos magister ordinis uel capitulum generale uoluerit aliter dispensare: sed tantum libros theologicos tam iuuenes quam alii legant. Ipsi uero in studio taliter sint intenti. \* ut de die. de nocte. in domo. in itinere. legant aliquid uel meditentur: et quicquid poterunt retinere cordetenus. nitantur.

Curet prior prouincialis ut si habuerit aliquos utiles ad docendum qui possint in breui esse apti ad regendum. mittere ad studendum ad loca ubi uiget studium.

\* et in aliis illi ad quos mittuntur eos non audeant occupare: nec ad prouinciam suam remittere nisi fuerint reuocati. Tres fratres tantum: mittantur parisius ad studendum. de prouincia. Quatuor autem prouincie. scilicet prouincia. lombardia. theuthonia. anglia. prouideant ut semper in conuentu aliquo idoneo sit generale studium et sollemne: et ad illum locum quilibet prior prouincialis potestatem habeat mittendi duos fratres idoneos ad studendum. Quod si in aliqua dictarum prouinciarum lector sufficiens pro tali studio non fuerit: magister ordinis de lectore prouideat competenti.

Statuimus ut quelibet prouincia fratribus suis missis ad studium. ad minus in tribus libris theologie teneatur prouidere. \* uidelicet in biblioteca. hystoriis et sententiis: et ipsi in his tam in textu quam in glosis. precipe studeant et intendant. Item. nullus faciat scribi libros de rebus domus: nisi ad communem utilitatem. Nulli etiam certus usus librorum concedatur: nec indignetur a quocumque auferantur. uel in cuiuscumque custodia dimittantur. In diebus dominicis et festis precipuis: a quaternis scribendis se contineant.

Quum frater de prouincia ad prouinciam ad regendum mittitur: omnes libros suos glosatos. postillas. bibliam et quaternos secum deferat. Et si simpliciter illi prouincie ad quam mittitur assignetur: libri quos de prouincia habuit de qua mittitur. ipso mortuo ad illam prouinciam pertinebunt. \* alii uero omnes sint illius prouincie ad quam mittitur: siue in uia siue in prouincia moriatur. Si uero ad tempus mittitur: omnes libri ad prouinciam de qua sumptus est pertinebunt. Idem dicimus de missis de prouincia ad prouinciam non ad regendum: non tamen portent nisi breuiarium. bibliam et quaternos. Si autem ipsum in uia mori contigerit. \* conuentus ad quem mittendus fuerit. in missis et psalteriis ei tenebitur: et ad eundem libri quos habuit pertinebunt.

Circa eos qui student taliter dispensetur a prelato: ne propter officium uel aliud de facili a studio retrahantur uel impedianter. Locus uero proprius secundum quod magistro studentium uidebitur statuatur.

\* in quo post disputationem uel uesperas. uel alio etiam tempore prout uacauerit. ad dubitationes uel questiones proponendas ipso presente conueniant: et uno querente seu proponente alii taceant. ne loquentem impedianter. Si quis autem inhoneste uel confuse uel clamose uel proterue. querens uel opponens uel respondens offenderit: statim ab eo qui tunc inter eos preest corripiatur.

Celle quibus magistro studentium expedire uidebitur assignentur. Quod si aliquis infructuosus inueniatur in studio: cella eius detur alteri. et ipse in aliis officiis occupetur. In cellis uero scribere. legere. orare. dormire: et etiam de nocte uigilare ad lumen possunt qui uolunt propter studium. Nullus fiat publicus doctor. nisi ad minus theologieam per quatuor annos audierit: nec disputet nisi per licentiam prioris prouincialis et diffinitorum capituli prouincialis.

Nullus fratum nostrorum legat in psalmis uel prophetis alium sensum litteralem: nisi quem sancti approbant et confirmant. Libri ordinis seu fratum non uendantur: nisi precium eorum in alios libros seu scripta conuertatur. Nulla scripta facta uel compilata a fratribus aliquatenus publicentur: nisi per fratres peritos quibus magister ordinis uel prior prouincialis commiserit. fuerint examinata.

### **De conuersis: quintum decimum capitulum**

Eodem tempore surgant conuersi quo et alii fratres: et eodem modo inclinent. Cum surrexerint ad matutinas dicant pater noster et credo in deum: quod faciendum est ante primam. et post completorium. In matutinis dicto pater noster et credo in deum: erigant se dicendo Domine labia et cetera. deus in adiutorium et cetera. gloria patri et cetera. Pro matutinis in profestis diebus dicant uiginti et octo pater noster: et in fine omnium kyrie eleyson. christe eleison. kyrie eleison: pater noster. Quo dicto. addant per dominum nostrum et cetera: deinde benedicamus domino et cetera. In uesperis quatuordecim: in aliis autem horis septem pater noster dicant. In festis autem nouem lectionum: quadraginta pater noster dicant. Et hec tamen: sub silentio. in ecclesia et ubicumque fuerint. Loco pretiosa: dicant tria pater noster. Pro benedictione mense: pater noster. gloria patri et cetera. Post mensam pro gratiis tria pater noster. gloria patri et cetera: uel miserere mei deus qui sciunt.

Indumenta tot habeant quot et ceteri fratres. preter capas. \* loco quarum habeant scapularia longa et lata. que non sint alba sicut tunice: sed similis coloris capis clericorum. Possunt et breuia grisei coloris habere scapularia: ad mensuram scapularium nostrorum.

De ieuniis. cibis. et abstinentiis. culpis et aliis omnibus: sic se habeant sicut et clerici. In labore tamen: prelatus poterit cum eis dispensare. Soli non uadant: sed cum socio clericu uel conuerso. Psalteria non habeant: nec etiam aliquos alios libellos.

Expliunt Constitutiones.